

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

LVIII. An vitia sint in voluntaria?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

urbem proderet suo Dario. Ulysses passus est se graviter verberari, aptavitque sibi sordidas vestes, & hoc amictu, quasi esset servus et transfuga, ad Troianos venit, ut urbem exploraret. Talia turpia laudantur.

LVIII.

An vitia sint involuntaria?

SOCRATES apud Platonem in Protagora disputat: Vitia esse involuntaria, neminemque fieri sponte malum. Contra Aristoteles docet, vitia esse voluntaria. Socratis seu Platonis sententia *κατά τὴν* vera est. Plato enim cum Stoicis intelligit per voluntatem appetitionem non quamvis, sed quæ aliquid cum ratione desiderat, seu quæ rectæ rationi est consentanea. Hoc autem modo nemo vult malum: sed tali appetitione homines volunt vitia, cui reclamationem ratio. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, inquit Apostolus: ac sentit se corruptione, in qua natus est, ad mala impelli. Quod ago, inquit idem, non agnosco, & nequaquam id Rom. 7. v. 15. quod volo, facio: sed id quod odi, illud ipsum facio. Platonica igitur assertio intelligatur ita, ut congruat cum hac sententia Thomæ Aquinatis: Non potest esse peccatum involuntate, nisi sit defectus in ratione. Vel, quod addo ego, nisi recta voluntas à vitiositate homini infidente

fidente & affectibus vincatur. Propter obiecta tamen externa, quæ vehementius vel remissius animum commovent, aliud vitium esse magis spontaneum, aliud minus spontaneum, non negaverim.

LIX.

Utrum omnia peccata seu vitia sint paria: An potius sint eorum gradus?

Posterius affirmatur.

STOICI omnia ἀμαρτήματα paria fecerunt. De hoc paradoxo Horatius sic iudicat:

lib. 1. Satyr.

Quis paria esse ferè placuit peccata, laborant:
Cum ventū ad verum est: Sensus moresq; repugnant,
Atq; ipsa utilitas iusti prope mater & aequi.

Et rectè quidem. Gravius enim est principem virum quam civem verberare: patrem, quam servum interficere: ideoq; parricidium gravius punitur, quam cædes servi. Cum in minimis peccatur, levius est peccatum, cum in maximis, maximum. Quid queris? Qualitates & circumstantiæ rerum & personarum distinguunt, atq; inæqualia faciunt delicta. Sed pro Stoicis afferuntur hæc. 1. Omnia peccata sunt æquæ peccata. Ergo sunt æqualia. 2. Quod non licet, id nec minus nec majus esse potest. Peccare est facere quod non licet. Peccare igitur nec majus nec minus esse potest. 3. Virtutes sunt paræ: & Bono nihil est melius!

Objcã.